

306

304

310

in epistola ad Hedibiam de verbo apostoli: illis odor mortis in  
mortem.

300

Igitur navigantes ventum, qui in Phrygiam nos ejicere cona-  
batur, declinare non poteramus, ideo ad insulam quandam Nyon  
vel Nium dictam declinavimus per canale strictum in medio in-  
sularum et portum securum et bonum ingressi naves stabilivimus  
anchoris et cancerorum alligatione. Eodem modo et aliae post  
nos venerunt galeae, quas nox tempestuosa longe a nobis ejecerat,  
et ingressi portum ad latus nostrum suas locavere naves. Stabi-  
lita ergo classe et prandio sumto projectis scaphis descendit cum  
galeotis in terram, nolui enim socium meum dominum extra mit-  
tere, quamvis obnixe precaretur me, quia in praecedentibus tem-  
pestatibus valde debilitatus fuerat et acutissima febre correptus,  
et timui, quod subita aëris mutatio et terrae contactus et gustatio  
eorum, quae extra reperire sperabamus, eum magis debilitarent.  
Cum ergo ad littus venissem, inveni socios nostros de aliis galeis  
congregatos ad fontem, et valde consolati simul fuimus.

315

Circa hunc fontem stabant multi galeotae et lavabant domi-  
norum suorum et suas camisias, quia aqua marina salsa inepta  
est ad lavandum. Similiter ergo per montem praecepitem et altum  
per petrosum clivum adscendimus contra castellum, quod in mon-  
tis cacumine est situm, et inter adscendendum invenimus tres  
ecclesias graecas, unam inferius in montis pede super mare, aliam  
in montis ascensu, tertiam superius in castello, quas ingressi Deo  
gratias retulimus, qui hucusque nos incolumes conservavit. In  
ipso autem castello nihil reperimus venale ex his, quae victui erant  
necessaria, nec panes neque ova neque fructus, nam qui primi  
ascenderant, tulerunt omnia.

295

355

255

405

205

Est autem ipsum castellum parvum, sicut Albeck castrum,  
sine oppido, sed multus est intus populus, habent enim unam ho-  
norabilem habitationem in arce, in qua residet dominus castellanus.  
Alii autem homines habent domunculas demissas, exiles, et tugu-  
riola, in quibus homo vix potest se erigere stans et extendere  
jacens. Nec habet insula illa nisi illos habitatores, qui vivunt de  
fructibus terrae in insula. Ipsum autem castellum est munitum,  
a veteribus Graecis aedificatum pro maris custodia, super abruptas  
petras constructum. Ex eo enim per latissimum (175 a) mare  
ad insulas caeteras Cycladum patulus habetur respectus. Cumque

Ende

Anfang

